



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Directo-||rvm Exercitio-||rvm Spriritva-||livm P. N.|| Ignatii

Acquaviva, Claudio

Ingolstadii, 1592

VD16 A 125

Capvt XXII. Quæ commendanda sint ei, qui absoluit Exercitia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60966](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-60966)

uenit, vt multi non ambulant^s, sed saltantes in via Domini, post multum tempus, diuersosque labores vacui virtutibus inueniantur, impatientes, & iracundi, & cum aliis eiusmodi imperfectionibus. Immo hic gradus ad altiorrem viam non tam ex electione nostra, & voluntate, ac conatu pendet, quam ex directione Spiritus sancti, cuius mos est ascensiones istas in anima dispone-re, vt eat de virtute in virtutem: in quo tamen ad certiorem directionem, & ad præcauendos errores, qui contingere possunt, consulendus est pater spiritua-lis, qui animam gubernat, & cum eius consilio in omnibus procedendum.

Quæ commendanda sunt ei, qui absolu-
uit Exercitia.

CAPVT XXII.

VT QVI EX LOCO calido ad lo-cum frigidum egreditur, facile fi-eri potest, vt cito frigefiat, nisi diligen-tem curam adhibeat retinendi calo-rem: ita qui exercitiis peractis redit ad communem vitam, & cōuersationem, nihil

nihil ~~est~~ facilius , quam vt feruorem, ac lumen conceptum breuissimo tempore perdat, præsertim quia quicquid boni acquisiuit, nondum est confirmatum per modum habitus , sed est tanquam passio quædam , quæ facile remittitur, vel etiam tota amittitur. Quod cum cōtingit omnis fructus, & omnis labor exercitorum euaneſcit.

QVARE HOC PRIMVM commen-
dandum est ei, qui exercitia absoluit,
vt magni aestimet hoc principium , &
quasi fundamentum vitæ bonæ & spi-
ritualis, quod per Dei gratiam iecit in
exercitiis, idq; à Deo accipiat tamquam
beneficium, & quidem maximum, & o-
mnia lumina, omnem cognitionem ,
quam in exercitiis acquisiuit, credat si-
bi à Domino Deo donata peculiari quo-
dam amore, & vt talia ea conseruare, &
tueri studeat. Præterea timorem conci-
piat, ne si deinceps non vixerit, vt intel-
lexerit esse viuendum , grauius à Deo
puniatur ob ingratitudinem, & quia sci-
enti bonum , & non facienti , maius iu-
diciū est ipsi.

SECUND O loco intelligat se adhuc
G 2 nihil

nihil aliud fecisse, nisi quod bonū se-
men in eius anima à Deo seminatū est.
Vnde nisi hoc semen foueatur, & exco-
latur, & ad maturitatem perducatur, vt
det fructum in tempore suo, per se qui-
dem aut nihil, aut parum est. Itaq^z hoc
primum cauere debet, ne eiusmodi se-
men, vel à volucribus, id est, à Dēmoni-
bus rapiatur, vel à spinis suffocetur,
nempe à cogitationibus, & cupiditati-
bus terrenis & vitiosis: ideoq^z non solū
peccata, sed etiam earum occasiones e-
uitet, & illa præsertim ad quę ante exer-
citia inclinatus fuit. nam cōtra hæc po-
tissimum se armare debet, quia facilli-
me recidere potest.

TERTIO hortandus est ad conser-
uandam, & alendam deuotionem iam
conceptam piis, & spiritualibus exerci-
tationibus, inter quas hæc potissimum
commendari poterunt. Primo, vt con-
seruet vsum meditādi quotidie per di-
midiam horam, aut etiam integrā, si
fieri poterit. Secūdo, vt singulis diebus
faciat examen conscientię, per quartam
horæ partem. Tertio, vt octauo quoq^z
die confiteatur, & communicet. Quar-
to,

to, eligit at aliquem Confessarium stabile, eumque accipiat ut ducem huius spiritualis itineris, & cum eo tractet omnia, quæ ad suam animam pertinent. Quinto, legat sæpe pios libros, & habeat bonorum hominum cōuersationem, malorum autē fugiat summopere. Sexto, curet proficere quotidie in virtutibus, præsertim in humilitate, patientia, & charitate. Et in summa nitatur ipse quoque ad eam summam perfectionem, quam in suo statu, & iuxta mensuram diuinæ gratiæ acquirere poterit.

Hæc autem sunt ferè generalia monita, quæ omnibus dari poterunt. Alia sunt deinde quæ iuxta cuiusque professionem, aut statum, aut particularem indigentiam addi poterunt: immo hæc ipsa augeri, & intendi ex maiori aliquorum deuotione, & progressu spirituali; quod facile aduertet bonus, & prudens

Instructor adiutus gratia, & lumine
Domini, & Saluatoris nostri
Dei, cui sit gloria, & ho-
nor in sæcula,
Amen.